



**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. V. Vtrùm infideles possint exercere aliquos actus moraliter bonos, an
verò contra omnes eorum actiones liberæ sint peccata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

disput. 2. dub. 20. recipit omnes habitus infusos in eodem gradu quo eos ante amisit, cum aliquo gratia augmento; & ramen, ut patet experientia, habitus vitiorum acquisitos, ferè æquè intentos retinet: atque ita eo casu in gradu intentio habet habitus infusos virtutum, & acquisitos vitiorum contrariorum.

Secundò, quia aliàs habitus fidei intentus non posset corrumpi per unicum actum remissum infidelitatis, ut patet in alijs habitibus, qui physice per actus contrarios corrumpuntur: illud autem aperte est falsum; ergo & id unde sequitur.

Tertiò, quia contraria sententia nullo probabili fundamento nititur, ut patebit ex solutione obiectorum.

37 Ad primum argumentum positum num. 34. Respondeo Primò, in maiori supponi falsum, scilicet obiectum formale fidei esse primam veritatem reuelantem mysteria fidei per ministerium Ecclesiæ; nam Ecclesiæ auctoritas ac testimonium nullo modo cōstitunt obiectum formale fidei, nec Deus modò nobis per eam quidquam de nouo reuelat: sed prius reuelata nobis infallibiliter explicat, ac credenda proponit, & possum fide theologica multa credere sine respectu ad propositionem aut auctoritatem Ecclesiæ, ut si quæ mihi alia ratione sufficienter sunt propoſita, aut etiam priuatim reuelata. vide dicta disp. 9. n. 65. Respondeo Secundò, nego minorem: nam habitus nec constituitur nec pendit intrinsecè ex obiecto suo formali, sed solum ratione suorum actuum, siue ut possit hos elicere, nam aliàs qui profunde dormit, aut vi morbi omniratione & sensu destituitur, perdet statim omnes suos habitus, quia non retinet eorum obiectum formale, cum de eo nullo modo possit cogitare. Patet tamen tales nullo modo perdere suos habitus, sed solum non posse pro eo tempore ijs uti. Item sequeretur, eum qui ob aliquam turbationem & defectum rationis, aut alia ex causa inculpabiliter crederet Deum posse aliquando mentiri, statim amittere habitum fidei, quia tolleretur sibi eius obiectum formale; illud autem omnino absurdum est.

38 Ad secundum, Respondeo Primò, nego consequentiam, quia talis si aliud non obesset, posset sibi obiectum fidei alia ratione applicare ob alias fidei notas iudicando id esse credibile, atque ita illud credere. Respondeo Secundò, id ut summum probare, talem dum in sua opinione persistit, reddere sibi impossibilem omnem verum actum fidei theologice. quod ob dicta supra libenter concedimus, sed inde non sequitur, eum amittere habitum fidei, quia ipsius error non repugnat habitui fidei, sed soli actui.

Ad tertium, nego minorem, cuiusque probationem: nam ut aliquis actus mereatur ablationem alicuius habitus infusi, non tamen spectatur eius grauitas quæ repugnantia cum illius habitus elicere. quod respectu habitus fidei fit per omnem & solum actum infidelitatis, iuxta dicta supra. Et ideo etiam quia actus spei nequit

Cominck de act. supernat.

elici sine fide, hinc spes non solum per desperationem, sed etiam per infidelitatem perditur, & caritas amittitur per omne peccatum mortale, quia actus caritatis nequit consistere cum villo actuali peccato mortali; quia aliàs deberet quis simul amare Deum super omnia, & aliquid aliud supra Deum: nam qui peccat mortaliter, aliquid amicitie Dei præfert; atque ita illud amat præ Deo: aperte autem implicat me simul actualiter amare Deum supra omnia, & aliquid aliud supra eum. Quæ clariùs patebunt ex dicendis disput. 25. dubio 1.

DVBIUM V.

Virum infideles possint exercere aliquos actus moraliter bonos, an verò contrarias omnes eorum actiones libera sint peccata?

39 Nota nos hic non quaerere, virum aliquod opus verè moraliter bonum, & ex nulla circumstantia malum fieri possit sine gratia, hoc enim ad 1.2. pertinet; sed an tale opus fieri possit, atque adeo de facto aliquando fiat ab homine infideli, siue id fiat ex auxilio gratiæ, aut sine illo.

Multi ex nostris hæreticis (quos citat Bellarm. lib. 5. de gratia & libero arbr. cap. 4. quibusque ex parte aliqui aliquando Catholici assenserunt) putarunt infideles, aut etiam omnes existentes in peccato mortali, nullam posse facere actionem moraliter bonam, sed omnem eorum actionem esse verum peccatum. Primò, quia Isaia cap. 1. & 66. Deus dicit incensum & sacrificia malorum Iudeorum sibi esse abominationem, seque ea odisse, & offerentes bouem sibi eodem loco esse ac mactantes canem ac carnem suillam, quæ prohibita erant offerri. Item Matth. 7. dicitur arborem malam non posse bonos fructus facere; & ad Roman. 14. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Ad Titum 1. Omnia munda mundis, coinquinata autem & infidelibus nihil est mundum. Ad Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo: ergo sine fide nulla possunt fieri opera, quæ Deo placeant, & consequenter nec bona. Secundò, quia D. August. varijs locis, & præsertim libr. 4. contra Iulian. c. 3. fusè docet, omnes actiones Gentilium, quantumvis videantur laudabiles, fuisse peccata ac vitia. Eundem sequuntur Fulgentius libr. de Incarn. c. 25. & Prosper l. 1. de Vocat. gèr. c. 7. Tertiò, quia, ut dicitur Luc. 11. cuius oculus, id est intentio, est nequam, totum eius corpus, id est opera omnia ipsius, erant nequam & tenebrosa: atqui intentio infidelis in omnibus operibus est nequam; nam cum se & sua omnia semel obtulerit ad honorem idoli, donec eam intentionem reuocet, censetur omnia sua facere in honorem idoli.

CONCLUSIO. Certum omnino est existentem in peccato, aut etiam infidelem posse exercere aliquam veram virtutem moralem, quæ in se nullo modo sit verè mala ac vitiosa.

Ee 3

Pro-

Probatum Primò, quia est communis omnium Theologorum. Secundò, quia hæc propositio quæ est 25. inter damnatas: *Omnia infidelium opera sunt peccata*, & philosophorum virtutes sunt virtutes, est damnata à duobus Pontificibus; quæ tamen secundum sententiam negantium opera ista differentia in inditiduo esset necessariò vera, si ipsi non possent facere opus aliquod verè moraliter bonum. Quidam dictam propositionem aliter referunt, scilicet hoc modo: *Ad pelagianismum reiicienda est illa sententia, Omnia opera infidelium sunt peccata*, &c. dicuntque in quibusdam Bullæ exemplaribus ita haberi. Sed est aperta menda. Nam, ut patet ex alijs sententijs ibidem damnatis, præsertim 22. 27. & 36. & libro ipsius Auctoris de virtutibus impiorum c. 4. & 5. fuit clara illius Auctoris sententia, omnia infidelium opera esse peccata. Quare illa verba, *Ad pelagianismum reiicienda est illa sententia*, ad priorem propositionem referuntur. Sic enim habet Bulla: *A vanis & otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est illa sententia, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus: & ad pelagianismum reiicienda est illa sententia*; sequiturque, *Omnia infidelium, &c.* Idem ex libr. Auctoris de prima hominis iustitia c. 8. ex quo hæc sententia sumpta est, clarissimè patet.

41
Infideles se-
pè suis ope-
ribus aliqua
à Deo impe-
trant.
Exod. 1.

3. Reg. 21.
Iona 3.
Daniel 4.

August.
Difficiliter
aliquis est
tam malus
ut nihil boni
faciat.

42

Tertiò, quia infideles sæpè quibusdam suis operibus Deum ad misericordiam sibi exhibendam aut aliqua dona conferenda excitant. Exod. 1. quia obstetricis timuerunt Deum (scilicet nolèdo secundum præceptum regis interficere infantes Hebræorum) adificauit eis domos, id est dedit eis magnam posteritatem. Item 3. Reg. 21. & Iona 3. Deus placatus pœnitentia Achab & Ninivitarum merita supplicia distulit. Hinc Daniel c. 4. suadet Nabuchodonosori ut peccata sua elemosynis redimat: ergo opera illa infidelium erant bona, quia alias Deo non placuissent, nec ijs fuisset motus ut operantibus aliqua bona conferret.

Quartò, quia nulla potest assignari ratio cur infidelis non possit vel ex instinctu naturæ, vel ex Dei praueniente gratia aliqua bona opera facere. Imò, ut docet D. August. de Spiritu & littegra cap. 27. difficillimum est aliquem esse tam malum, ut nulla unquam bona opera faciat.

Ad locum Isaia, Respondeo ibi sacrificia ac solemnitates Iudæorum dici Deo odibilia, & abominationes, non ex se, sed ratione intentionis offerentium, & circumstantiarum in quibus fiebant. Quia scilicet Iudæi putabant ea sibi sufficere ad iustitiam, & ut Deum sibi seruarent placatum, quantumcumque alijs grauissimis sceleribus se inquinarent; atque ita eorū fiducia in peccatis perseverabant, ac si per illa sufficienter mundarentur, ita ut perseverantibus ea offerre nulla peccata deberent ad culpā aut pœnam à Deo imputari. unde Deus subiungit, se eos sacrificantes & orantes non auditurum, quia manus eorum plene erant sanguine; iubetque eos prius animum mundare à vitijs, si velint exaudiri.

Ad locum Matth. Respondeo Christum ibi vocare arborem malam hæreticos ac falsos doctores, & solum docere ex eorum doctrina non posse nasci bonos fructus, siue per eam mores non posse corrigi, sed perueriti; atque ita eorum opera non quidem necessariò omnia, sed maxima ex parte esse mala: & si quæ bona sint, illa non nasci ex illa doctrina, sed aliunde. Similiter cap. 12. ait, arborem, id est hominem inuidum (de tali enim ibi loquitur: nam agit contra Iudæos sua miracula ex inuidia calumniantes) non posse facere fructum bonum, id est, non posse aliqua bona dicere aut facere proximo, sed semper malè de eo loqui: non quòd hoc sit omnino necessarium, sed quia vix unquam aliter fit. unde rationem reddit; *Quia ex abundantia cordis os loquitur*. quod communiter accedit, non tamen necessariò semper.

Ad locum Pauli ad Roman. Respondeo si-
dem ibi accipi pro conscientia, & dicitur si-
ri sine fide, quod sit contra conscientiam opi-
nantem aliquid esse peccatum. Et clarum qui-
dem est eiusmodi factum contra conscientiam
esse peccatum, sed hoc nihil contra nos facit.

Ad locum ex epistola ad Titum, Respon-
deo Apostolum ibi nihil aliud velle, quam
Christianos habentes mundas conscientias
non coquinari comedendo cibos lege veteri
prohibitos, prout quidam hæretici conabantur
ijs persuadere; & contra illis hæreticis coinqui-
natam & peruersam habentibus conscientiam,
nullos cibos esse mundos, quia omnes sumunt
eum discrimine à lege præscripto, & cum inten-
tione hanc tamquam obligantem obseruandi,
& eius obseruationem alijs persuadendi, & ita
omnium ciborum esu ob malam illam inten-
tionem coquinantur: de his enim solis ibi A-
postolus agit, ut patet ex textu.

Ad locum ex epistola ad Hebr. Respondeo
solum probare hominē sine fide non posse pla-
cere Deo, quia infidelitas inest homini quam-
diu non credit, atque ita cum inficit; non ta-
men inest singulis eius operibus, atque ita non
inficit singula.

Ad Augustinum, respondent aliqui eum di-
cere omnia opera infidelium esse peccata, quia
communiter talia sunt, eò quod ex mala inten-
tione fiunt, etiam si aliquando contrarium acci-
dat, ut scilicet aliquod opus bene faciant: quia
tamen hoc rarum est, non æstimatur.

Sed hoc non satisfacit. Primò, quia S. Augu-
stinus locis citatis sæpè absolutè dicit nullam
omnino posse esse virtutem sine fide, & omnia
opera infidelium esse peccata; id quæ probat nò
quia difficile ijs est habere bonam intentionē,
sed quia Apostolus docet, omne quod non
est ex fide esse peccatum (putat enim fidem ibi
accipi pro fide theologica); certum autem est
nullum infidelis opus esse ex fide theologica.
unde dicto capite sub finem ait: *Per hoc discite
qui non facit opera bona intentione fidei bona, hoc est
eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus,
quod illis velut membris operibus constat, tenebrosum
esse, hoc est plenum nigredine peccatorum. Quæ no-
tanda sunt, quia inde sensum Augustini infra
colligemus.*

Sc.

Secundò, quia ibidem superius cum docu-
isset non esse veras virtutes quæ exercentur vt
seruiatur auaritiæ aut commodis temporalibus,
sive quæ propter hæc sunt, subdit: *Quæ autem
nulli rei seruire volunt* (id est, quæ non ob ali-
um finem, sed ob intrinsecam honestatem exer-
centur) *neque ipsæ veræ sunt; veræ quippe virtutes
Deo seruiunt, &c.* Item libr. 19. de Ciuit. cap. 25.
Nam licet, ait, à quibusdam tunc veræ & honestæ
putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec
propter aliud expectantur; etiam tunc inflata ac su-
perbe, ideoque non virtutes, sed vitia iudicanda sunt.
Vbi aperte dicit, virtutes etiam ob intrinsecam
bonitatem exercitas esse vitia. & rationem sub-
dit: *Quia id necessitas supra hominem est, quod nos
facit beatè viuere.* quæ notanda sunt ob infra di-
cenda.

Pro resolutione Nota Primò, Iulianum, alio-
sque Pelagianos putasse hominibus natu-
raliter inesse vim faciendi opera bona, quæque
haberent non solum rationem veræ virtutis
moralis, sed etiam vim merendi vitam æternam.
vt ostendit disp. 4. dub. 4. vnde S. Augustinus alio-
sque negantibus nos sine gratia posse eiuf-
modi opera facere, solebant obijcere opera Ethni-
corum, quos aiebant omni gratia destitutos
perfectas virtutes exercuisse, vt probaret Chris-
tianos sine gratia posse exercere opera veræ
virtutis, & quidem, vt dixi, meritoria vitæ æter-
næ; cum hi haberent veram fidem, quam solum
putabant Ethnici deesse, quo minùs per sua
opera vitam æternam consequerentur. Atque
ita volebant horum opera ex se habere sufficien-
tem vim merendi vitam æternam, si ea faci-
entes propter infidelitatem non fuissent huius
consequendæ incapaces. Vnde D. Augustinus
lib. 4. contra Iulianum cap. 3. eius hæc verba re-
fert: *Cunctarum origo virtutum in rationali animo
sita est, & affectus omnes, per quos aut fructuosè (scilicet
ad merendam beatitudinem) aut steriliter
boni sumus. Et infra: Horum igitur affectuum vis cum
in his hominibus naturaliter, non tamen ad vnum finem
in omnibus preperat, sed pro iudicio voluntatis cuius
nuntius seruiunt, aut ad æterna aut ad temporalia di-
riguntur.*

Nota Secundò, eos asseruisse in Ethnicis
non solum fuisse aliquos singulares actus vir-
tutum, sed virtutes ita ijs inuise, vt ab ijs debe-
rent absolute dici iusti, adeò vt Iulianus volue-
rit Scipionem, Fabricium, & similes fuisse verè
iustos, ideoque eos non esse in damnatione æ-
terna. Verba eius apud Augustinum supra sunt:
*Eruntne ergo (scilicet Fabricius, Scipio, Camil-
lus), in damnatione æterna, in quibus erat vera iustitia?*
Cui Augustinus respondet: *O vocem impuden-
tiam maiore precipitem! non erat inquam in eis vera
iustitia, quia non actibus, sed finibus pensantur of-
ficia.*

Nota Tertio, Augustinum, aliosque Patres
contra eos disputantes eiusmodi propositiones,
Sine gratia, fide, aut caritate possumus exercere
virtutes, secundum illorum sensum accepisse &
negasse.

Respondeo igitur, quando Augustinus, alij-
que Patres contra dictos hæreticos disputan-
tes negant aliquem sine fide aut caritate posse

facere aliqua opera veræ virtutis, eos non ne-
gare ea opera secundum se præcisè sumpta
posse esse ex obiecto & circumstantijs verè bo-
na (hoc enim ipsi aperte quandoque asserunt)
sed solum negare ea habere perfectam ratio-
nem virtutis, ita vt operans ab ijs absolute pos-
sit dici iustus, ac Deo placere, ac beatus esse, aut
damnationem euadere.

Pater Primò, quia intendunt illud negare in
sensu Pelagianorum, eo sensu hoc asserentium.
Secundò, quia Augustinus dicto cap. id probat
Primò, quia animus infidelis fornicatur à Deo;
ergo in eo non potest esse vera continentia. Se-
cundò, Absit, inquit, vt in aliquo sit vera virtus, nisi
fuerit iustus; absit autem vt iustus verè sit, nisi viuat ex
fide. ac si dicat, Infidelis non est iustus; ergo non
est in eo vera virtus. Probat Tertio, quia, etsi
Ethnici bene definirent virtutem quoddam sit ha-
bitus naturæ modo ac rationi consentaneus;
tamen nescierunt quid sit consentaneum libe-
randæ ac beatificandæ naturæ mortalium, quod
per solum Christum fieri potest, ideoque iustus
ex fide viuat. Vnde infert iustum per hoc omni-
bus virtutibus rectè sapienterque viuere, quia
fideliter viuat, siue quia fidem in Christum ha-
bet. Ac subdit: *Si ergo ad consequendam veram
beatitudinem, quam nobis immortalis fides, quæ in
Christo est vera, promittit, nihil profuit homini vir-
tutes, nullo modo vere possunt esse virtutes. Et sub fi-
nem capitis ait: Aut certe quando saltem concedis
opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non
tamen eos ad salutem regnæque, perducere; scito nos
illud (id est eam rem) bonum hominum dicere, illam
voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia,
quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum,
nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad
æternum Dei donum regnæque, perducere, &c.* Vbi do-
cet, solum illud opus posse dici verè bonum &
opus virtutis quod conducit ad vitam æternam.
Quibus etiam consonant supra citata ex lib. 19.
cap. 25. de Ciuit.

Probat suam sententiam Quartò, quia si in-
fidelis faciat opera verè bona, esset arbor bo-
na, ac placeret Deo: atqui hoc est falsum, quia
sine fide impossibile est placere Deo. Vbi etiam
addit ideo opera infidelis esse mala, quia ea in-
fideliter ac stulta & infideli voluntate facit.
Quod non potest positivè intelligi, quasi ipse
omnia faciat ob finem repugnantem fidei: hoc
enim per se patet esse falsum, & ab Augustino
nullo modo intenditur, cum, vt patet ex di-
ctis, agat etiam de ijs actibus quibus virtus non
refertur ad alium finem, sed exercetur ob suam
intrinsecam honestatem. debet igitur intelligi
negatiuè, aut materialiter, quia scilicet infide-
lis non facit ea ex fide ac voluntate fideli, sed
voluntate quæ in se mala ac infidelis est.

Ex quibus omnibus clarè patet, D. Augusti-
num opera infidelium, omniumque iniusto-
rum, etiam si ex obiecto & circumstantijs ho-
nesta sint, ac propter suam honestatem expe-
tantur, negare tamen esse verè bona & virtu-
tes, quia non sunt à voluntate absolute bona,
atque ita vt operans possit absolute dici bonus;
nec profuit ad beatitudinem obtinendam. I-
tem vocat ea mala ac peccata. Primò, quatenus

quidquid aliquem defectum patitur potest dici malum ac peccatum: hi autem actus in hoc deficiunt, quod fiant à voluntate in se non bona, sed mala propter infidelitatem, atque ita non omnino perfecte, sed aliquo modo male fiunt. Secundò, quia opera, quantumvis in se bona, quæ fiunt à voluntate peccatis inquinata, & in sua iniquatione permanente, ab hac quodammodo inquinantur: sicut contrà quæ fiunt à voluntate caritate informata, ab hac exornantur. Ita aperte docet sub finem capituli, ubi ait: *Disce cum qui non facit opera bona intentione fidei bone, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur, totum illud corpus, quod illis velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Vbi alludens ad Matth. 6. v. 23. comparat intentionem siue voluntatem qua operamur oculo, & omnia nostra opera vni corpori, quasi varia eius membra, ait quæ hæc omnia necessarium esse tenebrosa, quantumvis aliàs secundum se videantur esse pulchra, si voluntas lumine fidei per caritatem operantis destituta cæca & tenebrosa sit. Et eundem loquendi modum quidam alij Patres eius sectatores sequuntur. Eadem etiam opera vocant mendacia, quia cum talia appareant quæ hominem iustum ac Deo placentem efficiant, & hoc verè non faciant, quodammodo mentiuntur.

Cur Patres
opera bona
infidelium
vocat mendacia.

51

Ad vltimum argumētum Respondeo; quidquid sit de maiore, siue de sensu illius loci citati ex S. Luca, nego minorem. Nam non omnes infideles sunt idololatræ, ut patet in Iudæis & hæreticis. Secundò, quia non omnes idololatræ omnes suas actiones ad honorem idoli obtulerunt: multi enim hæc de re nunquam cogitarunt. Tertiò, quia, etsi hoc semel fecissent, tamen non sufficeret ut omnes eorum actiones sequentes censerentur ea intentione fieri, sicut ut omnes nostræ actiones verè censeantur fieri ex caritate, non sufficit quod semel intenderimus eas omnes ita facere.

D V B I V M VI.

Utrum infidelitas bene distinguatur in hæresim, iudaismum & paganismum; & quæ ratione hæc inter se distinguantur?

52
D. Thomas.

D Thom. 2. 2. q. 10. a. 5. respondet eam rectè ita diuidi, id quæ probat, quia infidelitas consistit in eo quod quis renititur fidei (scilicet contrarium ei credendo.) quod tripliciter fieri potest. Nam infidelis vel renititur Christianæ fidei nullo modo susceptæ, & sic est paganus; vel renititur fidei susceptæ in figuris, & sic est Iudæus, (Iudæi enim dum legē, eiusq; ceremonias ac Prophetas suscipiunt, in quibus tamquā in figura nostra fides continetur & prædicatur, etiam nostram fidem in figura suscipiunt;) vel tertiò renititur fidei in clara manifestatione, siue secundum se susceptæ, & sic est hæreticus.

Iudæi nostra
fidem in fi-
gura susci-
piunt & pro-
fiterentur.

53

Est igitur hæc difficultas Primò, quia illa diuisio non videtur continere omnem infidelitatem. Primò, nam turcismus non videtur ad vltimam ex dictis pertinere, cum ex omnibus aliis quid credat. Secundò, quia dubitans de fide ad

nullam ex his videtur pertinere. Tertiò, quia olim inter Iudæos quidam à fide errabant, quibus nulla ex dictis speciebus conueniebat. Quartò, quia infidelitas philosophorum Gentilium qui vnum Deum ex lumine naturæ admittiebant, videtur debere distingui ab infidelitate eorum qui falsos deos colunt, aut etiam putant nullum esse Deum. Quintò, quia apostasia est infidelitas, & sub nulla ex his speciebus continetur.

Sed dicendum est eam diuisionem esse sufficientem, quatenus directe continet omnes species infidelitatis, quæ hoc statu rerum esse possunt; & quæ olim esse potuerunt, ad aliquam ex dictis possunt reduci.

Ad primum, Respondeo turcismum ad paganismum pertinere, quia Turcæ nullo modo fidem Christianam suscipiunt; & quamvis quædam credant, quæ aut nos credimus, aut Iudæi credunt, ea tamen non credunt ut à Christo dicta, aut quatenus ad nostram aut Iudæorum fidem pertinent, sed quatenus à Mahomete dicta & probata sunt.

Ad secundum, Respondeo dubitationem in fide non pertinere ad certam speciem infidelitatis, sed potius esse instar generis respectu omnium: nam qui dubitat simpliciter an tota nostra fides sit falsa, sit Paganus; qui verò dubitat an iudaismus verior sit quàm nostra fides, sit Iudæus; qui verò de paucis articulis dubitat reliquos credens, sit hæreticus. Idem quæ dicendum de apostasia, prout enim apostata vel omnino, vel ex parte à fide deficit, sit aut Paganus, aut Iudæus, aut hæreticus. ex quo patet solutio quinti argumenti.

Vbi Nota, apostasiam propriè significare recessum siue abfistentiam ab aliquo, à verbo ἀποστασις, id est abfisto. sumitur autem communiter pro recessu à Deo. D. autem Thomas infra qu. 12. art. 1. docet, id tribus modis fieri posse. Primò, deferendo observationem mandatorum Dei, siue eius amicitiam; & sic omnis peccans mortaliter apostatat à Deo. Secundò, deferendo Ordinem sacrum quem quis suscepit, aut Religionem quam professus est. Tertiò, deferendo fidem Catholicam; raro autem in prima significatione sumitur, sæpius in secunda, præsertim quando aliquis Religionem quam professus est deserit; propriissimè autem sumitur in tertia: qui enim fidem deserit omnino à Deo deficit, præsertim si eam omnino deserat, transiendo ad Iudæos vel Turcas, siue Gētiles. & hos communiter solemus absolute vocare apostatas, distinguendo eos ab hæreticis, etiam ijs, qui à fide defecerunt, quantumvis hi etiam verè apostatæ sint.

Ad tertium, Respondeo illorum infidelitatem non pertinere ad præsentem fidei statum, atque ita non pertinere etiam directe ad hanc diuisionem: reduci tamen ad hæresim, quia illi deficiebant à fide quam pergebant quoad apparentiam profiteri, siue quam protestabantur se integrè profiteri; nam profitebantur se esse veros Iudæos, seque sequi fidem traditam olim Moysi. In eiusmodi autem defectione consistit propriè hæresis, ut infra ostendam.

Ad